



**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum I. Ut Laici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](#)



# LIBER TERTIUS DECRETALIUM GREGORII IX. P A P Æ.

**P**remissis illis in secundo Libro Decretalium, quæ de iudicijs Ecclesiasticis, eorumque processu, & actis probatorij, sententiâ, appellatione &c. queri poterant, ordo videtur exigere, ut etiam de illis rebus agatur, quæ solent in judicium adduci; & quidem in hoc tertio Decretalium Libro de Clericorum & Religiosorum, qui sunt principia membra Communis Communitatis alicujus, iuribus & obligationibus. De Clericorum proinde, ac Religiosorum iuribus, & Obligationibus sit

## TITULUS I.

### DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

#### CAPITULUM I.

Ut Laici.

#### PARAPHRASIS.

Laici, dum Sacra Mysteria Missæ celebrantur, intra cancellos prope altare stare, aut sedere non debent; ea enim pars, quæ altari proxima est, & ab alijs Ecclesiæ partibus, cancellis dividitur, Clericis piallentibus tantum patere debet; ita tamen, ut etiam Laicis, ipsique faminis ad offerendum, & communicandum, & orandum accessus ad aram esse possit. Desumptus h[ic] Canon est ex Concil. Turonensi secundo.

#### SUMMARIUM.

1. Clericorum nomine simpliciter prolatio in stricta quidem acceptione, nec

Episcopi veniunt, nec alij in dignitate constituti Prelati, neque etiam Ecclesiarum Cathedralium Canonicci, neque Monachi, aut Religiosi; ob peculiarem tamen rationem, tam hec, quam alijs sequentibus hujus Libri Titulis Clericorum nomine, omnes illi ventunt, qui Clericorum privilegijs gaudent.

#### 2. Triplex Locus in Ecclesia distinguitur.

Dvertendum primò, præmitti hunc Titulum, quod velit Ecclesia, ut Clerici, sicuti gradus dignitate, & multorum privilegiorum prærogativis &c. Laicos præcedunt, ita morum etiam, & vitæ honestate, velut in sortem Domini vocati, non tantum prælucant laicis, sed gradu suo,

A

&

## 2 Decret. Greg. Lib. II. Tit. I. Capit. I. II. III.

& suis se privilegijs dignos faciant ; habitu , gestu , incesu , sermone , aliisque omnibus rebus , ut ait Trident. sess. 22. de refor. c. 1. nil nisi grave , moderatum ac religione plenum præferentes , ut eorum actiones cunctis afferant veneracionem. Et quamvis Clericorum nomine simpliciter prolati , in stricta acceptione , & prohibitoria , nec Episcopi veniant , nec alij in dignitate constituti Prælati Ecclesiastici , neque etiam Ecclesiarum Cathedralium Canonici , neque Monachi , sive Religiosi .

c. Quia periculum 4. de sent. excom. in 6. cap. sedes Apostol. 15. de rescript. prout etiam post Abbatem & plures altos notat Felinus in c. Non dubium 5. de sent. excom. n. 1. quia tamen morum , ac vita honestas , aliaque plura , quæ tam hoc , quam sequentibus Titulis statuantur , omnibus in Clero constitutis , ac potissimum Ecclesiarum Prælatis , aut Dignitate Ecclesiastica conspicuis &c. convenient , hinc in hoc etiam Titulo Clerici nomine omnes illi veniunt , qui Privilégis Clericorum fruuntur , quamvis primâ tantum tonsurâ initiati forent , prout cum , & post Abbatem , in rubricam hujus Tituli communiter advertunt AA.

Advertendum secundò , tres communiter locos juxta antiquam consuetudinem in Ecclesia distingui. Unus est propinquus altari , in quo stant , aut sedent Sacerdotes , & qui Missa sacrificio inseruent : de hoc sermo est in prima pars hujus Canonis , & in Can. 13. Concil. Brauarense primi tom. 2. Concil. Alter locus est , qui in choro includitur , plerunque cancellis , de quo sermo est in altera parte Canonis , quod videlicet intra chorum , dum divina mystria peraguntur , Laici manere non debent , sed Clerici tantum psallentes . Sicut etiam habetur in c. Sacerdotum. 30. diff. 2. de consecratione . Verum extra celebrationem officiorum Laici non prohibentur orandi causâ chorum ingredi , sed & sub Missa sacrificio communicandi causâ , vel ad altare

offerendi ; imò etiam propter consuetudinem honestari potest , ut Laici , persertim viri , tempore factorum officiorum in choro sint , ita tamen , ut Clericos plalentes confabulatione , aut risu non interturbent . Teritus denique locus est extra chorum , qui Ecclesia navis dicitur , in hoc Laici manere debent , dum sacra mysteria celebrantur .

### CAPITULUM II.

#### Clerici .

SI Clericus arma portet , vel usurarius sit , excommunicari debet , ( ita tamen , ut hæc excommunicatio ferenda tantum sententia sit , si post admonitionem constitutione accesserit ) consuetudo tamen permittit , ut , dum iter faciunt , arma defensoria deferant .

### CAPITULUM III.

#### Ut quisque .

##### PARAPHRASIS .

Unusquisque Parochus , seu curatus , Clericum suum habere debet , qui cum ipso cantet epistolam , aut lectionem legat , qui & scholas habere , & Catechismum , seu Fidei Christianæ fundamenta juventuti tradere possit .

##### S U M M A R I U M .

1. Curati redditus etiam pro ministro aelendo sufficere debent .
2. Evangelium , aut epistolam , sub sacrificio Missa solemniter , & in vestibus officio tali proprijs , ad cavadam irregularitatem cantantes , ordinem ad has functiones requisitum habere debent ; & quamvis aliqua circa hac immutare possit conjectando , non omnia tamen sine difficultate approbari possunt .
3. Curati obligantur , ut per se , vel per alios idoneos , fidei rudimenta juventutem , & rudem populum doceant .

Notan-